

vetur, et omnia fiant ad normam Instructionum S. Officii
20 Febr. 1867, 20 Jul. 1890 et 6 Aug. 1897 (1).

801. – Circa suspensiones ex informata conscientia
sequantur Episcopi normas a S. C. de Propaganda Fide
editas d. 20 Oct. 1884 (2).

802. – Praeter censuras generales per Const. Pii IX
Apostolicae Sedis aliasque Apostolicas praescriptiones,
promulgatas, speciales pro nostra Provincia sui locis
inveniuntur.

DE HUIUS CONCILII DECRETIS

TITULUS UNICUS.

803. – Acta et decreta huius Concilii Provincialis
Mexicani Quinti mittantur Sanctae Sedi Apostolicae
pro revisione et recognitione.

804. – Semel ac obtenta fuerit praedicta revisio,
acta et decreta huius Concilii a Metropolita quampri-
mum et a singulis Episcopis infra sex menses sive in
Synodo Dioecesana sive extra Synodum promulgentur.
Et semel promulgata fideliter ab omnibus serventur.
(cfr. Decr. S. Officii 30 Sept. 1896) (1).

805. – Ex tenore Brevis Sixti V super Conc. Me-
xicanum III declaramus delecta omnia et statuta singula,
quae in hoc Concilio V confirmata expresse non inve-
niantur, prorsus abrogata et nullius roboris habenda
esse (2).

806. – Grato animo accipimus privilegia a SS. D. N.
Leone Papa XIII per Const. *Trans Oceanum* dioce-
sibus Americae Latinae concessa. Indulta peculiaria a
S. Sede obtenta sive ad tempus sive in perpetuum
sedulo serventur in authenticis documentis, ne eorum
conditiones, limitationes, tenor etc. praetermittantur.
Et quoties agatur de aliquo usu vel consuetudine de-
cretis S. Sedis quomodolibet contraria, Episcopi illam

(1) V. App. n. 21.

(2) V. App. n. 22.

(1) V. Append. n. 23.

(2) V. Append. n. 24.

prudenter et efficaciter eliminent, et si quae difficultas gravis oriatur, recurrent ad eamdem S. Sedem expositis omnibus et singulis rei circumstantiis.

Quibus omnibus et singulis Nos omnes consente-
tientes et definientes subscribimus, Mexici die prima
Novembris festo Omnium Sanctorum anni millesimi
octingentesimi nonagesimi sexti.

† PROSPER MARIA, *Archiep. Mexicanus.*

† RAYMUNDUS, *Episcopus Chilapensis.*

L.  S. † IOSEPHUS MARIA, *Episcopus de Tulancingo.*

† FORTINUS HIPPOLYTUS, *Episc. de Cuernavaca.*

† IOACHIM ARCADIUS, *Episcopus Verae Crucis.*

*Procurator specialis tam Illīni ac Rīni D.
D. Francisci M. Vargas nunc iam defuncti
quam D. D. Victoriani Covarrubias Vicarii
Capitularis Dioecesis Angelopolitanae, VITUS
MODESTUS BARREDA, Canonicus eiusdem ec-
clesiae.*

LEOPOLDUS RUIZ, *Secretarius.*

APPENDIX

I.

Professio orthodoxae fidei iuxta formam a SS. PP. Pio IV
et Pio IX praescriptam.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et sin-
gula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo sancta
Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem, factorem caeli et terrae, visi-
bilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum
Iesum Christum, Filium Dei unigenitum: et ex Patre
natum, ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de
lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non fa-
ctum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt.
Qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis: et incarnatus est de Spiritu Sancto
ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam
pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est.
Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascen-
dit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum ven-
turus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius
regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum
et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui
cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur:
qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Ca-
tholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum
Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto re-
surrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi.
Amen.